IEPONIKAI
ADMIRABILES SANCTORVM militum Triumphi, siue Victoriæ.

AD INVIC-TISSIMVM AC PO-TENTISSIMVM CÆSAREM MAXIMILIANVM II. DEI GRATIA semper Augustum, &c.

AVTHORE
Ioanne Mylio Libenrodensi.



Viennæ in Austria, excudebat Michael Zimmerman,
ANNO MDLXV.

EPIGRAMMA D. PAVLI FABRITII, CÆS. MATHEM. IN ERVDITAM IOANNIS MYLII LIBENRODENSIS, sacrorum heroum historiam.

NEscio quod commune sacrum pictura, poesis,
Musica, iucundum contineantq; bonum:
Si tamen has sacris, seruato suaue decoro,
Quis iungat rebus, gratia maior adest.
MYLIVS hoc studio iunxit sua carmina sacris
Rebus, & æternæ laudis iniuit iter.
Hic pius heroum res gestas, fortia facta,
Bellaq; descripsit gesta, iubente Deo.
Quæ liber historiæ sacræ sermone recenset,
Carmine descripsit MYLIVS illa graui.
Nobis hos inter scribendus & ipse secundus
Heroas Cæsar MAXMILIANVS erit.
Inclyta pro populo gerit is quia bella, beatas
Pro vera curas laude geritq; Dei.

INVICTISSIMO
ROMANORVM IMPERATORI
MAXIMILIANO II. DEI BENIGNITATE SEMPER AVGVSTO, BOHEMORVM & Vngarorum regi, Archiduci Austriæ, &c.
Domino suo clementissimo
S. P. D.

SIt licet hic tenui malè comptus fronte libellus,
MAXIMILIANE præpotens,
Nec iusta referat versus grauitate superbos,
Aut ponderosa carmina:
Tu tamen hunc Cæsar placido dignabere vultu,
Et esse iam tuum sines,
Quóque magis præstas generosis regibus heros,
Eò libentius leges.
Namq; sacros facili recitat breuitate triumphos,
Ducumq; gesta fortia:

Edocet ac hominum nihil esse salutis in armis,
Nihil valere militem,
Ni Deus æthería clemens respexerit arce,
Suoq́ nutu iuuerit.
Concitet iratus vires ad prælia mundus,
Multo & furore sæuiat.
Econtra pietas domini sperabit in alis,
Et castra sternet hostium.
Aspice Dauidem veluti stet solis ad ortum,
Deumq́ laudet optimum:
Luceq́ iam facta, pia miles ad arma feratur,
Pugnetq́ fœlix vndiq́.
Scilicet à superis pendet victoria grata,
Belliq́ lætus exitus.
Ergo dei sacras acies miremur, & arma,
Qui victor est tot hostium,
Herouḿq manus agiles ad prælia reddit,
Hasta docetq́ vincere.
At tu Cæsareum cunctis venerabile germen,
Dux omnium pijssime,

Patria

Patria cum virtus pia te producat ad arma
    Aduersus hostes impios,
Historias meritò vincentum suspicis heros,
    Tibiq́; iure vendicas.
Quare lætus habe de sanctis carmina bellis,
    Tuaq́; gratia tege:
Ac victor supera memorandis laudibus omnes,
    Quos hîc videbis inclytos.
Hoc ita quo fiat, CHRISTI te gratia seruet,
    Regatq́; fœlicissimum.

S. C. M.

deditiss:

Joannes Mylius
Libenrod.

ΤΩ ΘΕΙΟΤΑΤΩ, ΚΑΙ ΕΥΣΕΒΕΣΤΑΤΩ ΜΑξιμιλιανῷ β', καίσαρι ἀηττήτῳ, χαίρειν καὶ εὐπράττειν.

Μουσαγέτην χεῖρες γραφέων ἡρακλέα θῆκαν,
Ὃς δωτὴρ ἀγαθοῦ πὰρ Διὸς ἦλθε βροτοῖσι.
Πολλὰ γὰρ ἐν γαίῃ πολεμήϊα ἆθλα μογήσας,
Τάγμασι μουσάων εὗρεν εὐφροσύνας.
Τοῦ χάριν ἡγεμόσιν τελέθει χαριέστατος ᾠδή,
Ἡδέα ποιητῶν καὶ βασιλεῦσιν ἔπη.
Νῦν δὲ σὺ διοτρεφὲς καῖσαρ μέγα κόσμου ἔρεισμα,
Ἐν πεδίοισι μουσῶν οὗτος ὁδηγὸς ἔσῃ.
Τοὔνεκεν εὐμενέως φιλομούσου λάμβανε ὕμνους,
Καὶ ἱερῶν νίκαις τέρπεο τὴν κραδίην.
Εἶτα δρέπων χλοερῆς ἀπὸ δάφνης ὄζον ἐδανὸν,
Ποιητοῦ στέφανον μοὶ δίδου ἀντὶ πόνων.
Αἰφνιδίης καὶ ἐγὼ πάλιν αὖ στόμα σεμνὸν ἀνοίξας,
Σοὶ γλυκερὸν χεύσω καῖσαρ ἄριστε μέλος.
Χαῖρε λαχών τε θεοῦ βουλῇ κλέος οὐρανόμηκες,
Καὶ ἀπ' ἔτους εἰς ἔτος τίμιος ἴσθι πλέον.

Ἰωάννης μύλιος Λιβενροδεύς.

IEPONIKAI

ADMIRABILES SANCTORVM militum Triumphi, siue Victoriæ

AD INVICTISSIMVM ROMANORVM JMPERATOREM MAXIMILIANVM II, dei fauore semper Augustum, Boëmorum & Hunnorum regem, Archiducem Austriæ, &c.

ARma, ducesq́; cano, diuinaq́; prælia regum,
Jllustres animas sanctæ pietatis amore,
Heroas superi fretos virtute parentis,
Qui Martis dubij duros subiêre labores
Numinis admonitu, populos seruare fideles,
Ac cœtus firmare pios, cœlesteq́; dogma:
Christicolæ fœlix hominum genus vnde supersunt,
Cultoresq́; pij lato dominantur in orbe,
Atq́; deum celebrant authorem laude perenni.
Hæc dū mente agito, veteresq́; reuoluo triumphos,

Cæsaris ô sancti proles, ter Maxime Cæsar,
Id quod sæpe facis, sacros spaciatus in hortos,
Ingredière libens scripturæ clara vireta.
Gestaq́ue magnorum simul admirabere regum,
Inq́ue deo fidens, vincentum imitatus & arma,
Heroas celebri priscos æquabis honore,
Aut ipsos victor superabis Maximus omnes.
Eximius Christiq́ue tuebere miles ouile.
O vtinam nobis citò tàm fœlicia currant
Secula, quæ latè deuictis hostibus, orbi
Apportent placidæ lætissima munera pacis,
Ortus & occasus tibi quò se subdat ouanti,
Austriacæq́ue domus se gloria tollat in astra.
Interea mecum libeat spectare potentes
In bellis animos, victricia castra ducumq́ue,
Et placidè iam iam venturæ assuescere laudi.
Ergo sacri properate duces, animosaq́ue corda
Magnifici lætam Domini monstrate per aulam,
Et dulces aderunt virtutis præmia versus,
Præmia virtutis totum mansura per æuum.

Primus

Primus at hos inter iam victor prodit honorus | Primus victorum Abrahamus.
Magnanimo Tharides Abrahamus milite cinctꝰ,
Aurea cuius habent celebres insignia voces : ,,
Semen erit nostrum toti venerabile mundo. ,,
Namq; per id veniet populis benedictio læta, ,,
Ac gentes dominum cœli cognoscere discent.
Quattuor hic reges spolijs inuasit onustos,
Nocturnaq; viros cautè partitus in vmbra,
Castra per insidias hostilia cæpit, & antè
Vincentes iterum domuit victricibus armis,
Ereptamq; simul prædam, captosq; reduxit,
Quos inter LOThus redijt, quo iustior alter
Non erat, in fratris lætissimus ora triumphis.
Inclytus at vinum reduci cum pane sacerdos
Obtulit, ac fessos epulis, potuq; refecit,
Sceptraq; iustitiæ retinens, sic læta precatus,
Grandia virtutis præconia fudit ab imo
Pectoris, affatus victorem carmine dio :
Larga tibi maneat supremi gratia regis,
Cui mare, cui tellus, cui cœli machina parent,

Quem merito patrem famuli dignamur honore
Laudis, & ingenti dominum celebramus in orbe,
Quod tibi victoris titulos donauerit amplos,
Inq; tuis sæuos manibus concluserit hostes.
Sic pius vt vates Abrahamo dixerat olim,
Relligionis amans clypeum suspendit ad aram,
Et sacer erexit miles præclara trophæa,
Magna fuitq; duci merces deus ipse laborum,
Atq; per ærumnas stetit impenetrabile scutum.
II. Moses Corniger hũc sequitur longo post tẽpore princeps
Syncera pietate valens, præclarus & armis,
Expositus Nili quondam stagnantis in vlua,
Filia quem regis periturum traxit ab vndis,
Nutricemq; vocans tandem suscepit in aulam,
Filiolumq; velut mater curauit amica,
Inscia ductorem populi se pascere MOSEN,
Quo duce libertas Hebræis grata rediret,
Et grauis Ægypti vastaret mœnia clades.
Namq; Dei iussu deuenit regis in arces
Nuncius, & sacram monuit dimittere plebem,
Serui-

Seruitum domino terrasq́ polosq́ regenti.
Addita legati dictis miracula summa,
Impius vt citius faceret rex iussa superna.
Tum serpens baculus sinuosa volumina traxit,
Et vaga sanguineum pariter traxêre colorem
Flumina, nec pisci fuit amplius vtilis vnda,
Nec cupidæ genti porrexit pocula grata.
Inde loquax homines vexauit rana, nec vsquam
In tota regione quies optanda remansit.
Venerunt etiam sæuis animalcula rostris,
Quæ Graij vocitant φθεῖρας, *turbamq́ pecusq́*
Morsibus assiduis genus exedêre malignum.
Noxius & vermis ruris vastauit agellos,
Ac virides carpsit fructus inimica locusta,
Nec gregibus pecudum clades horrenda pepercit.
Hinc mala terrigenûm scabies insedit in artus,
Grandinis & rabies sæuos grassata per imbres
Arboreas læsit frondes, herbasq́ virentes,
Audacesq́ viros, armentaq́ strauit vbiq́.
Quin etiam tenebræ noctis pressêre colonos,

 Et

Et primi tandem fœtus iacuêre perempti.
Sic Pharao victus Mosen excedere iussit
Cum populo, terrisq́; suis citus expulit omnes,
Æthereo sacrare deo, ceu iusserat, aras.
Ergo viri, matresq́; piæ, facilesq́; puellæ,
Hebraicæ stirpis magnum, nec inutile vulgus,
Exibant properè Gazis & veste superbi,
Illusos auroq́; sinus ope plebis habebant,
Ornatum ad sacros dederat quæ prodiga cultus,
Æreq́; iam veteres rutilo nudauerat arcas,
Ut grauis offensi cessaret numinis ira.
Iamq́; dies, alterq́; dies processerat æquus,
Ex quo progenies aberat Iudæa, nec vsquam
Niliacos ventus homines afflauerat æger,
Impia cum regis seduxit opinio mentem,
Dum casu queritur discrimina tanta tulisse,
Hebræos abiisse viros sine numine diuûm,
Quos modò pro seruis habuisset, commoda regi
Agmina, quæ nunquã cuperent ad regna reuerti,
Exportasse suis preciosum finibus aurum.

Iactitat hos armis se posse reducere captos,
Annos imperijq́ breues extendere factis.
Nec mora, dat signum, populosq́ ad prælia cogit.
Subditus approperat miles, capit arma iuuentus.
Frenatis portantur equis hastilia dura,
Nec volucres portis cessant exire quadrigæ:
Non aliter, ridentis apes ac veris in hora,
Mollia cum lenes Zephyri per prata susurrant,
Et nouus in flores laxat se campus apricos,
Erumpunt caueis resonæ, per & aëra ludunt,
Ac regem circa volitant examine denso.
Impius his Pharao stolida sibi mente triumphos
Militibus spondet, nimium confisus & armis,
Cœtibus Hebræis à tergo feruidus instat,
Inq́ fugam versos agili premit vndiq́ dextra,
Ceu timidum catulus leporem sectatur, & vrget.
Quod simulac vidit Moses interritus heros,
Auxilio fultus domini, pia guttura soluit:
Candida posteritas Abrahami pone timorem,
Hæc modò quæ timido conspeximus agmina vultu,

Poſt nuſquam patulo cernemus in æquore campi.
Namq́; Deus ſupera noſter pugnabit ab arce,
Et nobis veniet victoria læta quietis.
Sic referens baculum pelagi ſuper extulit vndas,
Ac iter in ſicco per aquas ſignauit apertum,
Quas domini nutu vehemens ſiccauerat Auſter.
Impiger hac tranſit populus ceu valle profunda,
Ad latus vt ſteterat pro mænibus humor vtrunq́;,
Dura velut rupes ruptis in montibus extat.
Protinus inſequitur per aquas rex ſæuus euntes,
Vix & trita legit cupidus veſtigia miles,
Inſuetiſq́; vijs currus auriga gubernat,
Ac ſterilem violentus eques pede calcat arenam.
Tum dominus cœli turbauit caſtra tyranni,
Inſanoq́; rotis excuſſit turbine currus,
Præcipiteſq́; viri trepido cecidêre tumultu,
Et pauor immenſus ſceleratum terruit agmen.
Inclytus at vates medijs egreſſus ab vndis,
Sanctus vt in ſicco ſteterat iam littore cœtus,
Numinis ad iuſſum facili leuat arte bacillum,

Duratumq́ iubet solito mare feruere fluctu,
Et rapidos iterum cursus intendere latè.
Ergo citi redeunt latices, & littora complent,
Sæuarumq́ magis strepitus grandescit aquarum:
Nec salsos potuit Pharao vitare recursus,
Aut pelagi superare minas, sed protinus hæsit
Æquoris illuuie miles suppressus in imo,
Et Stygium frendens exercitus iuit ad Orcum,
Ac tanto è numero saluus non extitit vnus.
Parte sed ex alia diuino læta triumpho
Gens Hebræa Deum victorem carmine laudat,
Et grates domino iam libera fundit ab hoste.
Festiuos iterant vocalia littora plausus.
Quid loquar vlterius, reges vt vicerit idem,
Orandoq́ magis rabidos confecerit hostes,
Quàm dextra populi, vel duro militis ense?
Vtq́ Seonis opes, ac celsas fregerit vrbes,
Magnanimū & victor bellando strauerit Oggū?
Hinc quis nō videat, fuerit quàm strenuus heros,
Fortiter atq́ patrem populi se gesserit vsq́?

Ergo

Ergo duces inter sacros modò fulget honore,
Inq́; gerit signis clarè depicta trophæa,
Quæ si forte libet placido percurrere vultu,
His inscripta notis animum vexilla iuuabunt:
„ Fratribus è nostris deus eliget ipse prophetam,
„ Atq; pijs famuli replebit vocibus ora.
„ Hic sacra iussa ferens, domini præcepta docebit,
„ Quæ si quis petulans audire negauerit, ille
„ Sentiet vltrices neglecti numinis iras.
III. Iosue. Tertius at plenis se gressibus intulit heros,
Dum loquimur, Mosemq́; diu miramur inertes,
Cuius in ignota tumulus nescitur arena,
Nam pia cura dei fessum sepeliuit in imis
Vallibus, ac cæcis monumentum condidit antris.
Non aliàs miles tàm floridus extitit armis
Filius ac Nuni, Mosis qui castra secutus
Altiloquos didicit contra vibrare tyrannos
Fraxineas hastas, gladiosq́; rotare minaces,
Ictibus & crebris rapidas lassare phalanges,
Atq; truces turmas ferrata rumpere claua.

Hunc

Hunc vbi ſidereo firmauerat ore Iehoua
Rebus in aduerſis tutorq́;, paterq́; futurus,
Pollicitus defenſor opem, placidiq́; fauoris
Munera, quò ſanctum terris induceret agmen,
Promiſſumq́; diu populis recluderet agrum,
Mellis agrum riuis, & dulci lacte fluentem:
Continuò Iſacidas præconis iuſſa vocarunt,
Vt ſe quiſq́; viæ citius, belloq́; pararet,
Greſſibus atq́; ducem plenis ſequeretur Ieſum.
Poſtera lux igitur faciem rubicunda decoram
Inſpexit latè populum ſe fundere caſtris,
Et vada Iordanij deduxit fluminis intra.
Hîc faciles diuis patuêre nepotibus vndæ,
Vdus & humor aquæ ceſſit venientibus vltro,
Siccaq́; per medios data turbæ eſt ſemita fluctus,
Et ſtetit arca dei bibula ſuper amnis arena.
Namq́; ſupra tenuit fluuij reuerentia lymphas,
Et procul à cœtu durus liquor hæſit in alto,
Vt maris in gremium reliquus decreſceret imber,
Nec riguis peditem tardaret fontibus vſquam.

Transiit ut populus, creber dominiq; sacerdos
Constitit in ripa, tumido se gurgite rursum
Intulit ex summo fluuius resonantibus alis,
Et modò quæ fuerant, penitus vestigia rasit.
His ita perfectis miles circundedit urbem,
Cuius præcipiti ceciderunt mœnia lapsu,
Septima cum terris roseo lux fulserat ortu,
Undiq; dum summis resonat clamoribus æther,
Ignis & immissus regum palatia vastat.
Post modò iam liber pœnis exercitus, unde
Fugerat ob culpam scelerati furis Achani,
Oppidulum sæuis flammis combussit Ainum.
Inde furor belli Gibeonis ad inclyta rura
Quinq; tulit claros furibundo milite reges,
Quos pius aggressus Iudæo robore princeps,
Inq; fugam versos gladijs mactauit & hasta.
Tum simul & grando sæuos malè perculit hostes,
Ultorisq; dei iaculis periêre maligni.
Mox ducis ad votum fuit amplior hora diei.
Solis & in medio clari stetit orbita cœlo,

Ut

Vt populus domini gentes deleret iniquas.
Feruidus hinc alias septem cum regibus vrbes
Edomuit victrice manu, duxitq́ triumphos,
Inq́ sua ad requiem fœlix est castra reuersus,
Et domino lætis cecinerunt vocibus hymnos.
Jlicet ad regem volitauit nuncia fama,
Iabiniq́ domos rumor compleuit amarus,
Vrbis & Hazori commouit splendida tecta,
Isacidum propè adesse ducis victricia signa,
Qui multos audax reges prostrauerit armis,
Igneq́ supposito celsas vastauerit vrbes:
Ni sibi prouideant, patrijs hostemq́ repellant
Finibus, extemplo miseris instare ruinam.
Hæc ob dicta ferox insæuijt ira tyranni,
Conciliumq́ vocans, reges in fœdera traxit,
Opprimerent validos iunctis vt viribus hostes,
Æternumq́ sibi nomen virtute pararent.
Martis amor resides tectis protrudit in arma,
Feruet & in tota belli regione cupido.
Pars pedes ire parat, quatiens hastilia dextra:

Pars conscendit equos, & pulueris excitat imbres:
Ac longè volucres strepitum dant ordine currus.
Omnes tela nouant positis incudibus vrbes,
Atq; caput galeis onerant, aut spicula torquent.
Hi clypeos aptant, thorace superbus aheno
Alter it, aut rigidæ loricæ tegmine fidit.
Exciti studio reges, ac torua iuuentus,
Immensus populus, numero sine plurima turba,
Quæ maris ad littus cumulos æquaret arenæ,
In campis acies effingunt, agminaq; armant.
At deus alloquijs noctu dignatus IEsum,
Ne metus ad bellum gelidus tardaret euntes,
Auxilij promisit opem, roburq; supernum,
Jussit & audacter populos educere castris.
Postera vix croceos aurora reduxerat ignes,
Quando trahens secum fulgentes ære cateruas
Improuisus adest, turmis circundat & hostes,
Jamq; fugæ memores concîdit in æquore campi,
Cæsorumq; struit feruens pugnator aceruos,
Sanguineo & latè conspergit flumine terras,

Et

Et paſsim rubeo corrumpit in igne quadrigas.
Nec mora, victores Hazori mœnia ſcandunt,
Ac ferus incenſa mactatur in arce tyrannus.
Hac diues rediјt ſpolijs exercitus vrbe,
Intulit & caſtris ouiumq́ boumq́ rapinas,
Quiſq́ ſuam & partem tenuit gauiſus abundè.
Sed quia non poßum dignè recitare triumphos,
Dum tenues nimiū dictant mihi carmina Muſæ,
Ne videar magni ducis obſcurare trophæa,
Dicere ſufficiat, ter denos victor & vnum,
Quod reges domini per opem deuicerit armis,
Iamq́ ſenex populo ruris dimenſus agellos,
Ex hoc terreno cupidus diſceſſerit orbe,
Vt placido ſuauis frueretur munere ſomni,
Donec in aſtra pijs reditum daret alter IESVS,
Quo ductore ſacris per mortem inducimur aruis,
Nos vbi diuinas ſine fine tuebimur arces,
Perpetuo in ſancta paciſq́ morabimur vrbe,
Atq́ Dei patris iucunda videbimus ora.
Hinc tribus in caſtris exercuit arma Iehuda, IIII. Tribus Iu[...]

Hostibus & domitis captiuum traxit Adonem,
Qui reges digitis manuumq́; pedumq́; resectis,
Sub mensa veluti catulos nutrire solebat,
Et similem passus, referebat talia, pœnam.
» Pro factis dominus mihi præmia reddidit vltor,
» Obtigit & sæuis merces conatibus æqua.
V. EHVD. Quid loquar, vt deinceps audax pugnarit Ebu-
Atq; trucem rigido traiecerit ense tyrannũ (dus,
Eglonem tumidi tardum pinguedine ventris,
Vtq́; tubæ sonitu plebis commouerit aures,
Amneq́; Iordanio spumauerit vnda cruenta,
Quando viri decies iacuerunt mille perempti,
Atq; Moabitæ casus fleuêre suorum?
VI. Samgarus. Samgarus hũc sequitur venerandũ germẽ Ana-
Qui pastor baculũ gladij conuertit in vsus, (thi,
Eq́; Philistæis sexcentos trusit ad Orcum,
Fratribus & victor sacra pacis festa reduxit.
VII Barac. Septimus adueniens lucet pugnator in armis
Magnus Abinoides, vatis quem iussa DEboræ,
Agmine Naphthalidũ in montis duxêre cacumẽ,

Victor vt insanas Iabini frangeret iras,
Hazoriq́ minas iterum contunderet hasta.
Ergo decem populi delegit millia catu
Impiger ad pugnam diuinis iussibus heros,
Cautus & excelsa consedit in arce Thabori:
Seq́ duci comitem Lapidothis iunxit honestam,
Inter & armorum strepitus, belliq́ labores,
Alloquijs trepidum firmauit dulcibus agmen,
Fortiter ob patriæ gladijs pugnare salutem,
Et ruere in ferrum pro libertate nepotum,
Euentumq́ deo tetrici committere belli.
Finitimam subitus penetrauit rumor in aulam,
Milite Iudeæ regionis feruere colles,
Montibus & lectas passim recubare cohortes.
Protinus exarsit rabies vesana tyranni,
Inq́ rebellantes populum cum principe misit.
Ilicet armorum varijs successibus audax
Sissara nongentis falcatis curribus exit,
Atq́ trahit secum vires in prælia regni,
Castraq́ Chisonium prope collocat efferus amnem,

Atq́

Atq; meros tumido spirat ferus ore triumphos,
Inscius ætherias contra se stare phalanges,
Ac humana Deum contra nihil arma valere.
Irruit hos alto super hostes monte BARacus,
Plena gerens fidei generoso pectore vota,
Adq; Dei iussum clypeo munitus & ense,
Vi multa pugnans inimicum fertur in agmen.
Desuper hostiles terror quatit vndiq; turmas,
Mortis & ante oculos gelidæ obuersatur imago,
Dum tristes Stygij furiæ de carceris antro
Sanguineas fingunt acies, ac tela cruenta,
Cæsorumq; truci laniatu vulnera sugunt.
Non tulit has vmbras violentus Sissara quōdam,
Nec sæuam potuit gladijs auertere cædem,
Ipse sed in primis fugitans sua castra reliquit,
Et pedes è curru saliens loca deuia transit.
Insequitur trepidos armis Hebræa iuuentus,
Tergaq; veloci fugientum traijcit hasta,
Ictibus & certis deiecta cadauera calcant.
Agminis interea princeps elapsus ab hoste

Contu-

Contulit in tectum sese iam fessus Heberi,
Et clausus latebris timidus se credidit imis.
Excipit astutæ dominum vox blanda Iaëlis,
Ut velit in casula rebus gaudere pusillis,
Et fessus tenui paulum requiescere lecto:
Cumq́ue sitim fontis cuperet restinguere lympha,
Grata ferens niuei propinat pocula lactis,
Membraq́ue veste tegit languenti victa sopore.
Ille iacet domitus somno, Martisq́ue tumultu,
Ac vtranq́ue nimis securus dormit in aurem.
At ferri clauum muliercula corripit audax,
Malleolumq́ue tenens furtiuis gressibus intrat,
Et capiti apponens terebrum per tempora figit.
Sanguineo vestes rorant, lectusq́ue cruore,
Vitaq́ue cum gemitu fugiens prorumpit in auras,
Et cunctæ pariter cessant iræq́ue minæq́ue.
Interea propius sacrum cum venerat agmen,
Ipse BARAcus adest, mulier quem cæde peracta
Alloquitur, læta & victorem voce salutat.
Huc generose meas infer te miles in ædes,

 Ut

Ut videas hominem, cursu quem quæris anhelo.
Ingressam sequitur pede feruidus vltor, & hostem
In lecto reperit traiectum cuspide ferri.
Plebs hinc læta Deo sonuit pia carmina regi,
Ac hilaris fudit memori de pectore grates,
Quod sæui mulier domuisset colla tyranni,
Grataq́ue libertas patriæ rediisset in agros.
Sic cadat omnis homo, plebem qui perdere sanctam
Cogitat, & domini non vult agnoscere cultus.
At qui ritè deum precibus venerantur, amantq́ue,
Pro pietate sua firmo se robore tollant,
Ac tenerum lepido producant semine florem,
Mane velut liquido sol aureus exit Olympo,
Et latum radios lucis diffundit in orbem.
VIII. Gedeon. Sed nunc alter adest redimitus tempora lauro,
Octauamq́ue sibi deposcit in ordine sedem,
Cui tulit herois titulos, nomenq́ue sacratum
Aliger è cælis diuino nuncius ore.
Victori celebres noua fundite carmina Musæ,
Militiæq́ue piæ clarum memorate laborem,

Ac simul illati causas inquirite Martis.
Immemor Hebræus venerandæ legis ad aram
Portabat domino rarißima munera cœli,
Vota nec in sancta soluebat numinis æde:
Sed magis ad vetitos referebant pectora cultus,
Ad statuas, lapidumq; strues, simulacbraq; fæda,
Gentis & ad morem pro numine ligna colebant.
Inde furor domini iustas exarsit in iras,
Ob scelus vt populum violento traderet hosti,
Affectumq; malis grauibus reuocaret ad aras,
Legis ad examen ritus seruare paternos.
Hoc Madianitidæ propter venêre quotannis,
Seq; dedit socium iunctis Amalecchus in armis,
Solis & Æthiopes calido feruore perusti,
Judeæ validis preßêre cohortibus agros,
Et clades populis, segeti, pecoriq; fuêre.
His oppressa malis grauiter multosq; per annos
Gens lassata, deo tandem pia guttura soluit,
Ac confessa scelus, longiq; errata furoris,
Rebus in aduersis domini se strauit ad aram,

Ac requiem petijt, tanti finemq́ laboris,
Annua quò rursum sacras deferret in ædes
Munera, nec quisquam tardaret reddere vota,
Vsq; sed ætherium coleret de more parentem.
Audijt excelsa residens dominator in arce
Clamantem populum, & miseræ suspiria plebis,
Et placido fautor respexit lumine cætus
Isacidûm, nec opem miserator distulit vltra.
Continuò rutila delabitur angelus vrbe,
Diuinoq́ virum Gedeonem robore firmat,
Miles vt incipiat patrios defendere cultus.
Iussa libens sequitur Ioæ Mauortia proles,
Feruidus & tacita vanam sub nocte Baalis
Confringens statuam, lucos deuastat inanes,
Atq; sacerdotum deliria vana cohercet.
Inde deo vero veros instaurat honores,
Atq; bouem mactans, structis super immolat aris.
Vnde iocus populi mansit vulgaris in ore:
Si Deus est veluti iactant, vt iure colatur,
Ipse Baal sectus pro lucis sæuiat vltor,

Et

Et violatorem tàm sanctæ puniat ædis.
Hæc vbi prima dedit princeps documenta futurus,
Velleris & signo didicit sperare triumphos,
Cum semel in lanas pluuiæ se fuderat humor
Totus, vt in terra remanerent omnia sicca:
Ac vice pòst versa per agros ita sederat imber,
Tingeret vt positas roris nec guttula pelles.
Horrifico litui sonitu, & clangore tubarum
Ex agris populi resides ad bella vocantur,
Quos alacris secum duxit pugnator in hostes
Insignis galea, thorace coruscus aheno,
Fontis & ad riuos primum consedit Haradi.
Affuit hîc præsto dominus comitatus euntem,
Admonuitq; sacris heroem vocibus vltro:
Ne trahe tot populi bellator millia tecum:
Non etenim vestris Madianus vincitur armis,
Ipse sed hunc contra pugnabo cælitus hostem,
Vt ruat in proprios demens exercitus enses,
Ne tumidè incipiat populus iactare loquelas:
Se domuisse suis hostilia viribus arma,

Et multa peperisse sibi virtute triumphos.
Texerat his dictis faciem clementia dia.
At populo retulit præco per castra sonorus,
Grata viris timidis clamoso gutture verba:
Si quis adest, dubio trepidant cui pectora motu,
Quem pauor exagitat, licet huic excedere castris,
Hincq́; redire domum, dulcesq́; inuisere natos,
Ne timida facie robustum terreat agmen,
Inq́; fugam secum rapiat fortissima corda,
Quando graui pugna subitò perterritus exit.
Dixerat hæc præco, simul & properauit ab armis
Multa cohors, propria & sese sub tecta recepit,
Denaq́; vix numero manserunt millia plebis,
Quem riguis admouit aquis, haustuq́; probauit.
Nam qui more canis lambebãt fluminis vndam,
Hos saltem decuit bello seruire trecentos.
Cætera deflexo biberat quæ poplite turba,
Numinis ad monitum bello iam libera cessit.
Non procul in viridi Madianus valle iacebat
Agmine cum socio, veluti cum solis ad æstum

Turma locuſtarum dulces ſe mittit in agros,
Et nihil in pratis vacuum iam cernitur hoſte:
Aut velut ad littus reſonæ voluuntur arenæ,
Innumeroq́; ſinus vndoſos turbine complent.
Hos Gideon contra paruo cum milite pugnans,
Cuiq́; dedit lituum, vas fictile, lampadis ignem,
Ac hoſtes mediæ noctis circundedit hora.
Buccina triſte ſonat, flammæ caſtriſq́; relucent,
Atq; nouo fragiles rumpuntur Marte lagenæ.
Illico turbantur Madiani voce tubarum,
Caſtraq́; nocturno trepidant commota tumultu,
Inq́; fugam trepidis ſe paſsibus vndiq; fundunt,
Nec minus & cæſo ſocio cruor inquinat enſes.
Namq́; furor domini rationis læſerat vſum,
Mutuus vt feruor paſsim conſumeret hoſtes,
Inq́; ſuos ruerent gladios diſcrimine nullo,
Atq; feris manibus truncarent propria membra,
Vnuſquiſq; ſuum comitem dum traijcit haſta,
Hoſtes inq́; putat ſæuos ſe ſpargere tela.
Tum Iudæa vias fugientum claudere turba,

Ad vada Iordanij præcurrere fluminis, atq;
Fortibus exceptos gladijs concidere paßim,
Cæsorumq́; graues opplere cadauere fossas.
Fata duces etiam captos traxêre sub Orcum.
Cæpit enim Sebam, tristem comprendit Orebum,
Illustres pariter Madiana gente tyrannos,
Et caput amborum Gedeoni muneris instar
Obtulit Ephramidum veniens de rure iuuentus.
Ipse sed vlterius reges sectatus in armis
Salmona, militibus iam feßis, atq; Sebæum
Oppreßit, victorq; domum est cum laude reuersus.
Nec voluit populi voces audire rogantis,
Regia quo dextra victrici sceptra teneret,
Sed veniam poscens, resono dedit ore loquelas:
Nō ego vester ero Dominus, nec regna capessam,
Nec mea se proles sceptri iactabit honore:
Sed Deus ante velut dominus fuit, ipse manebit,
Et pater in populo mitis dominabitur vsq;.
IX. Iephta. Nonus at hos inter victoris nomina sumit,
Iephta potens armis, furtiui germen amoris,
Quo

Quo viuente, graui pubes Ammonia fastu
Pendula Thariadum campis tentoria fixit.
Tum populus veteri dominum ratione vocauit:
O Deus auxilijs patrum dignare nepotes. „
Nostra quidem meruêre tuum peccata furorem, „
Turpia dum colimus stolidi pro numine ligna, „
Atque dijs fictis incenso thure litamus. „
Sed tu sancte parens irasci desine victis, „
Ac clades auerte bonus, tormentaque dira, „
Nosque tuos clemens hostilibus eripe turmis. „
Hæc vbi vota Deus facili susceperat aure,
Dum positis statuas populus confregit in aris,
Jephta viros habiles raptans ad prælia secum
Feruidus irrupit virides Ammonis in agros,
Bisque decem strauit concussis mœnibus vrbes,
Gentibus ac cæsis retulit cum laude triumphos.
Hunc decimus sequitur generoso pectore miles, X. SAMSON.
Intonsusque comas, fluuialis potor & vndæ
Exuuias humeris monstrat fera terga leonis,
Maxillamque rotans minitatur vulnera totus,

Imbreq́; ſanguineo madidus gerit ora cruenta.
Quis mihi de tanto memorabit principe carmen?
Ordiar vnde prius, laudes qua voce ſonabo?
Nam duce læta deo genitrix heroa potentem
Protulit in mundum, ſterilis quæ vixerat ante,
Hirſutoq́; vagos inſtruxit vertice crines,
Ut ſacer à teneris domino ſeruiret Olympi,
Sobrius ac nuſquam guſtaret pocula Bacchi.
Hunc vbi firma virum florentem fecerat ætas,
Viſcera ceu lanius ſalientis diripit hædi,
Abſq; armis tumidi lacerauit membra leonis,
Cuius in ore fauos vt apis cumulauit aprico,
Ipſe viam rediens per eandem, dulcia mella
Corripuit, ſuauemq́; parentibus obtulit eſcam,
Indeq́; iam thalamos ſpectans ænigmata finxit:
Eſca mihi venit rigido comedentis ab ore,
Nataq́; de forti tenuit dulcedo palatum.
Hoc vbi ſoluerunt teneri problema ſodales
Sponſæ conſilijs edocti, melle per orbem
Dulcius eſſe nihil, nil fortius eſſe leone,

Spiri-

Spiritus heroem domini protraxit ad arma,
Terq; decem cæsis, tulit indumenta virorum,
Promissasq; dedit vestes, thalamumq; relinquens
Ad patris iratus nimium se contulit ædes.
Interea petulans alium sectata maritum
Sponsa thoros vacuos minus instaurauit honestè,
Immemor ac fidei sponsum nubendo fefellit.
Tempus erat messis, feruensq; horrebat aristis
Campus, vbi Samson veteres fruiturus amores,
Uxori niueum de capris attulit hædum:
Sed pater intrantem tenuit sic ore locutus:
Amplius haud poteris thalamo gaudere maritæ.
Alter enim socio desertam fœdere duxit.
Si placet eximiam sponsæ tibi iunge sororem,
Junior vt tecum florenti dormiat æuo.
Non tulit hæc Samson, acri sed feruidus ira
E soceri tectis properauit, multa minatus,
Ultor & incubuit vindictæ pectore toto:
Ceu vagus in syluis acuit fera cornua taurus,
Quem solito veniens socius priuauit amore,

Ac nimium charæ spoliauit coniugis vsu.
Inde suos hostes contra se præparat heros,
Terq́ꝫ capit centum vulpes, noua prælia tentans,
Quarum cum rutilo caudas armauerat igne,
Expulit in Cereris campos animalia rubra,
Et flauas latè segetis combussit aristas.
Flāma furit volitans, frugumq́ꝫ cremantur acerui,
Vlteriusq́ꝫ suas iaciunt incendia vires,
Vritur & passim per agros Bacchëia pubes,
Incensæq́ꝫ crepant oleæ redolentibus aruis,
Sæuus & halantes serpit Vulcanus in hortos.
Ergo Palestini tanta pro clade furentes,
Judæam properè numerato milite cingunt,
Ac nisi vastator vinctus tradatur agrorum,
Omnia se prorsus minitantur perdere velle,
Nec puerum in cunis recubantem linquere viuū,
Aut matrem tumido gestantem pignora ventre.
Territus his populus Samsonem quæsijt, atq;
Multa reluctantem, quia causam læsus habebat,
Et malè pro factis reddebat præmia digna,

Extra-

Extractum latebris violento tradidit hosti:
Hinc oritur castris lætissimus vndiq; clamor,
Impius ac miles captiuum scommate pungit,
Hocq; putat dignum facinus mox esse triumphis.
Funibus at ruptis maxillam corripit heros,
Terribilis, toruumq; tuens, velut horridus vrsus,
Cum patrio catulos inopes defendit amore,
Ac ruit in ferrum pro libertate suorum.
Non aliter Samson pugnabat miles honorus,
Osseq; mille viros asinino fortius instans
Exanimes patulo sternebat in aggere campi,
Sanguine conspersus, madidusq; cruore cadentum,
Ac superincumbens cæsorum fessus aceruo;
Ad dominum cœli tales dabat ore loquelas:
En Deus alme tua fretus virtute supersum,
Totq; viros pedibus maxilla calco peremptos:
Sed iam forte meum claudet sitis arida guttur,
Mortuus vt stolidæ præstem ludibria genti.
Audijt ista Deus, medioq; eduxit ab osse
Per dentis rimas salientis fluminis vndam,

Præbuit & potus Samsoni pocula læta,
Quæ sorpsit cupidus, membris viresq́ue recepit.
Quid loquar, vt Gazæ portas conuulserit heros,
Atque ferens humeris in monte refixerit alto?
Vtq́ue per insidias mulier deceperit ipsum,
Insanæ Veneris fugiendos inter amores?
Namq́ue caput sacrum rasit scelerata Dalila,
Atque Palestinis imbellem tradidit audax:
Qui captum placidi spoliarunt luminis vsu,
Jusseruntque molæ duros tolerare labores.
Post vbi lætitia peragebant sacra frequenti,
Ibat & in cultus simulachri florida Gaza,
Templaq́ue succenso redolebant thure Dagonis,
Hortatu populi Samson adducitur heros
Exhilarare suo magnatum fercula lusu,
Quos varijs liber damnis affecerat antè.
Adueniens igitur puero sic fatur ad aurem:
Me sine marmoreos fessum contingere postes,
In quibus hæc fundata satis stat firmiter aula,
Vt me reclinans valeam captare quietem.

Sic

Sic referens, manibus complexus vtranq; columnā,
Auxilio fultus domini, se suscitat ira,
Atq; domum valido splendentem concutit ictu.
Illa ruens hominum tria preßit millia lapsu,
Præcipuosq; duces affecit clade pudenda,
Samsonemq; bonum generosa morte peremit.
Nam simul est moriens vltus fœliciter hostes,
Atq; Palestinis lachrymas, fletusq; reliquit.
Undecimus SAmuel domino sacer ordine nobis XI. Samuel.
Victor adest, lauriq; gerens in fronte coronas,
Rite deum sancta vigilans prece seruus honorat,
Atq; Philistæos fertur bellator in hostes,
Quos pater ætherijs iaculatus fulmina tectis
Terruit, & rapido turbauit fulguris igne,
Ut penes Hebræam staret victoria gentem,
Ac populi festo recrearet pectora vultu.
Hunc sequitur SAVlus deiectos tristis ocellos. XII. Saulus.
Confususq; tegit faciem, simul oraq; squalet,
Quod sceptri fragiles quondam sortitus honores,
Aq; Deo viridi decoratus fronde triumphi,
Non

Non planè domini fuerit sacra iussa secutus,
Sed populum occidens pinguem seruarit Agagum,
Ac captas tulerit pecudes iniussus ad aram.
Id propter cecidit proprium confossus in ensem,
Nec potuit soboli regis firmare cathedram,
Sed natos miseris inuoluit cladibus vnà,
Quos inter IOnathas defletur amabile germen,
Armis conspicuus, superans virtute parentem,
Quod medios puero saltem comitante per hostes,
Ipse Philistææ concusserit agmina gentis.
XIII. David. *Tertius à decimo vultum rubicundulus heros,*
Crineq́; pulchellus, roseoq́; venustulus ore,
Plectra gerens citharæ, feriensq́; sonantia fila,
Egregius psaltes, ac vatum maximus idem,
Fulgida Iudaicæ sacrata lucernula plebi:
Nec minus ad pugnas habilis, Mauortiaq́; arma,
Vrsorum catulos lacerans, catulosq́; leonum,
Lumina militiæ ducens heroica secum,
Rex placido tandem victor pede nobilis intrat,
Exhilaratq́; suo conspectu floridus omnes.

Hunc

Hunc Samuel puerum venerabilis vnxit oliua,
Ac minimum natu posuit præ fratribus altè,
Pastorem decorans sceptri regalis honore,
Pasceret vt custos domini sapienter ouile,
Contereretq́; pio furibundos Marte tyrannos,
Ac Stygis ad latebras fœdos demitteret hostes.
Paruulus hinc venit fratres visurus amicos,
Quando labor belli Iudææ cinxerat oras,
Atq; sacros homines suppresserat ethnica turba.
Namq́; vir immani Goliathus robore præstans,
Ingens, terrificum, nec delectabile visu
Mole Gigantæa vasto cum corpore monstrum,
Horribili è castris ad pugnam voce vocabat
Militiæ gnarum, contrà qui staret in armis,
Ut dextra melior victoris præmia ferret,
Ac cæsi populum seruorum iure teneret.
Hunc vbi conspexit generoso lumine David
Plena truci fastu, probrosaq́; verba sonantem,
Atq; metu sensit populi trepidantia corda,
Non tulit vlterius Getthæi crimina sæua,

Corde sed irarum concepit feruidus vndas,
Ac pugnæ cupidus dirum se armauit in hostem.
Non etenim cultor domini fas esse putabat,
Isacidas contra generosis patribus ortos,
Scommata tanta loqui meretricis semine natum,
Viuentisq́; dei, cœlo terraq́; potentis
Famosis acies sanctas proscindere dictis.
Ergo spei plenus firmæ ter maximus heros
Quinq; capit lapides fluuij resonantis ab vnda,
Ac intra positos peram sibi seruat in vsus.
Dextra regit baculum, retinet fundamq́; sinistra
Ad belli valido properantis corde labores,
Ac simul ore fluunt populo suauißima vota:
Paruus eram, patrijq́; gregis me cura tenebat.
Protinus è syluis super irruit vrsus ouile,
Atq; gregis tenuit ductorem mordicus ore.
Ipse superueniens laceraui fortiter hostem,
Ac sæuis rapui prædam de faucibus vltor.
Post leo prædator propius quoq; venit, & agnum
Unguibus arripiens auidis mactauit in agro,
Quem

Quem simili domitum fato mea dextra peremit.
Nunc quoq; me dominus rabido defendet ab hoste.
Quo duce non vrsus sæuire, nec ira leonis
In me tum potuit. Sic fatus fertur in hostem
Corporis exigui miles, virtute sed ingens.
Arduus econtra tardis se gressibus infert
Instar turris homo, restans de stirpe Gigantum,
Ærea cui caßis sublimi vertice fulget,
Pectora loricæ tunicis indutus ahena:
Crura tegunt ocreæ fulgentes ære corusco.
Ingentes humeros clypei defendit amictus,
Arbor & in dextra, veluti teres hasta, rotatur.
Terra tremit vasti pedibus calcata Gigantis,
Ac vix ferre potest immanes corporis artus.
Mox vbi Iessæi pueri conspexerat ora,
Intonat horrendum, sonuêre boatibus auræ:
Quid tibi vis? baculũ quid homũcio perdite gestas?
Num canis esse tibi videor? quid multa moraris?
Huc propius, volucres vt alant tua mẽbra, venito.
Excipit hunc iuuenis Iessæo sanguine clarus.

Ergo venis ſpirans irarum pectore fluctus,
Enſe ferox, haſtaq́; potens, ſcutoq́; ſuperbus:
Aſt ego te contra venio duce tutus Olympi,
Cui tua terribili maledicunt guttura bombo.
Hæc propter domini bonitas me certa iuuabit.
Hiſce cades manibus, caput hæc tibi dextera frãget.
Cumq́; iacens ſocijs paſces animalia carne,
Coruorumq́; gregi præbebis mortuus eſcas,
Vt ſciat omnis homo Iudæis numen adeſſe,
Quod ſine nos gladijs, haſta ſine ſaluat ab hoſte.
Noſtra deus belli dominus vos tradet in arma.
Talibus auditis, Golias excanduit ira,
In pugnamq́; ruit, magnoq́; furore propinquat.
Proſilit Iſaides rapidus, fundamq́; reducit,
Impoſitumq́; rotans lapidem iaculatur in hoſtem,
Qui per inane volans ſpacium, velociter hæſit
Fronte Gigantæa lethalis vulneris author.
Purpurei exiliunt latices, faciemq́; colorant,
Fulgida & irrorant tepidi ſuper arma cruores:
Ille ſimulq́; cadit, vitam cum ſanguine ructans,

Inq́;

Inq́ iacens agris immania membra volutat.
Non aliter summis abies in montibus alta,
Quam ferro aggrediens sæuus ferit incola syluæ,
Ac penes incidit radicem robore multo,
Corruit in terram, & vasta quatit vndiq́ mole
Arboreas frondes, nemoris virgultaq́ sternit,
Extremumq́ resultat humo, geminatq́ fragores.
Hinc latè resonant colles, vallesq́ profundæ.
Victor adest Dauid, calcat pedibusq́ iacentem,
Prostratiq́ trahens gladium se firmat in armis,
Et caput horrendum Goliathi decutit ense,
Atq́ gregi volucrum corpus partitur in escam,
Artubus haud paruis miratus grande cadauer.
Nec mora, dū properāt hostes, & castra reliquūt,
Insequitur Iudæa cohors, sternitq́ morantes,
Deq́ Palestinis agitat cum laude triumphos:
Occurrunt hilares reduci cum fronde puellæ,
Isacidemq́ vehunt clara super æthera laude,
Instaurantq́ choros, & dulcia carmina formant:
Mille viros domuit Cissides inclytus armis,

 Dena

Dena sed Isaidæ percussit millia virtus.
Saulus at inuidiæ stimulis agitatus, & ira
Percitus, indoluit diuisum ob laudis honorem,
Insidiasq́; ferox Dauidi struxit apertè,
Quas vbi præsensit, fugiens immania sceptra,
Exilium cupidus regali prætulit aulæ,
Uxorisq́; thorum cautus vitauit amicæ,
Quem carè fuerat quondam mercatus in arce,
Dum tulit abscindens inhonestæ tegmina caudæ,
Bis centum valido prostratis hostibus arcu.
Sic inopem quamuis vitam traduceret exul,
In scopulis latitans, nemorumq́; recessibus altis,
Exiguamq́; manum secum retineret in armis:
Non tamen ad populum segnis fuit ipse iuuandũ,
Aut transegit iners iuuenili tempora lusu:
Sed vigil ob patriæ rex designatus amorem,
Pertulit horrisoni violenta pericula Martis,
Atq́; Philistæos bellator ab vrbe Ceila
Repulit, & victor statuit generosa trophæa.
Inde fuga elapsus Saulo persæpe pepercit,

Nec

Nec dextram voluit sæui maculare cruore
Principis, aut ferro promissum acquirere regnum.
Idcirco properans Iudææ cessit ab oris,
Atque Palestini consedit in vrbe tyranni.
Hinc Amalecchitas, iuuenum stipante caterua,
Vexauit miserè, ac pecudes prædator abegit,
Obuia quæque metens gladio, nullumque relinquens.
Has ruit ob clades frendens Amalecchus in arma,
Tempora sortitus pauidis accommoda furtis.
Dauidisque domos duce non præsente subintrat,
Ac spolijs diues Sicelegi mœnia flammis
Comburit, trepidas iungens in vincula matres:
Indoluit rediens vacua dux vrbe reperta,
Ulturusque malos turmas eduxit in hostes:
Quos vbi lætantes reperit, cum milite paruo
Nocte superueniens, vino, somnoque sepultos
Oppressit, gladio victor strauitque potenti,
Ac prædam eripiens matres ad tecta reduxit.
Mox vbi crudelem in bello occubuisse tyrannum
Audierat, redijt patriæ festinus in agros,

Pro-

Promissasq́; diu rerum suscepit habenas,
Ac curam populi gessit fœliciter heros,
Æthereum psalmis celebrans super omnia numen.
Sed non læta diu durant, seges vndiq; belli
Surgit, & optandæ conturbat tempora pacis.
Ergo preces iterans, consueta recurrit ad arma,
Hostibus & pulsis Solymorum mœnia fundat,
Atq; Sionæas imponit rupibus arces.
Inde Palestinæ coëunt ad prælia gentes,
Impediant vt opus, regna & surgentia frangant,
Quas ope cœlesti generosè miles adortus,
Cum super arboreas frondes data signa notasset,
Sensissetq́; dei sonitum gradientis in hostem,
Callidus à tergo facili circumdedit astu,
Multaq́; prostrauit fugientum millia victor,
Inde Moabitas tetigit contagio belli,
Nec meliore tumens Adaserus sorte recessit,
Dum super Euphratem fines extendere tentat:
Sed casus miserè, currus, equitesq́; reliquit.
Moxq́; Syri domita est violentia militis audax,
Iessæ-

Jessæumq; ducem trepidans agnouit Idume,
Jussaq; persoluit victori dona quotannis.
Quid loquar Ammonis rex vt se gesserit Hanō,
Dum stolidus resecat barbam, vestesq; virorum?
Quem domuit vigilans Iessæi principis ira,
Auxiliatorum superauit & agmina densa.
Tantus erat David, pugnas dominiq; gerebat
Strenuus, ac victor latè benè cuncta regebat.
Ah nimium fœlix, magnus nimiumq; fuisset,
Si non exilij mala damna tulisset adulter,
Atq; suum contra natum pugnare coactus,
Jnnocuam populi maculasset sanguine dextram.
Hisce sed alta dei bonitas extraxit ab vndis,
Deflentem miserè commissa piacula regem,
Sublimemq; suas iterum prouexit ad arces,
Ac stabili solium regni firmauit honore.
Sic melius creuit, princeps dominoq; iuuante
Liber ab hoste, sacros vates pius ædidit hymnos,
Venturi tandem repetens benefacta nepotis, Christus saluator.
Cuius in æternum duraret summa potestas,

Cuius & auspicijs fœlicia sacla redirent,
Nullaq́ tristitiæ facies superesset in orbe:
Ast homo quisq́ Deum coleret renouatus amicũ,
Duceret ac vitam cœli susceptus in arcem,
Amplius & rigidæ mortis nil iura timeret. (phos,
XIIII. Abias. Subsequitur quartus decimũ, renouatq́ trium-
Dux Abias rutila Solymorum rector ab vrbe,
Qui fratres contra quondam pugnare coactus,
In domino cœli posuit spem firmiter omnem,
Impia Nabathidæ contriuit & arma tyranni,
Demonstrans vitulos nil posse obstare tonanti,
Quos sibi stultus homo fabri conflauerat igne,
Vanaq́ Thariadis dederat simulachra colenda,
Amplius vt legis nullus documenta teneret,
Nec cuiquam Solymas restaret causa videndi.
Hæc tulit impietas clades populoq́ ducić.
At fœlix Abias pietatis floruit armis.
XV. Asa. Huic comes it patriæ seruans vestigia laudis,
Asa pius princeps, superans bonitate parentem.
Namq́ deum quærens, legis mandataq́ curans,
Ere-

E regione sua sceleratas sustulit aras,
Et turpes resecans lucos, idola Priapi
Exußit, rapido veræ pietatis amore,
Et matrem vetuit scelus exercere Maacham.
Ergo pio fluxit cœlis benedictio regi,
Vinceret vt bello tumidos fœliciter hostes,
Quando Zaræ in terram propius venêre cohortes
Æthiopis, faciesq́ꝫ nigras timuere coloni.
Tum stetit ante sacras acies, dominumq́ꝫ precatus,
Rex pietatis amans, sacra vota peregit in armis.
At deus Æthiopes rubicunda terruit arce,
Mactandosq́ꝫ dedit Iudæis protinus hostes.
Post decimum sextus nigris se vestibus infert, XVI. Achab.
Lugubri vultus habitu, sparsisq́ꝫ capillis,
Victor adornata veniens sine fronde triumphi,
Impius ob thalamum peregrinæ coniugis heros,
Sacrarum vehemens legum contemtor Achabus.
Hunc tamen ornauit domini pia gratia lauro,
Cum Syriæ rector sacratas cinxerat vrbes,
Quo duce Iudæis propius venêre tyranni,

Horrisonosq́ꝫ deum contra mouêre tumultus,
Propterea centum iacuerunt millia cæsa,
Elapsosq́ꝫ fuga muri preßêre ruinis,
Ut ducis ætherei fieret sic nota potestas,
Quem niueis sequitur pedibus victoria læta,
Siue sit in campis acies, seu vertice montium.
At quoniam ipse Syrum vita donauit Achabus,
Extractum latebris regem dignatus amicis
Colloquijs, meruit vehementes numinis iras,
Nequitijsq́ꝫ suis populum in discrimina traxit,
Ac cecidit tandem miseranda cæde peremptus.
XVII. Ioram. *Proximus huic Iorā reprobi patris impius hæres*
Cernitur, ac viridi meditatur fronde triumphos.
Namq́ꝫ Moabitas prostrauit Marte rebelles,
Cum teneros ouium fœtus inferre negarent,
Amplius & pecoris nollent persoluere lanas.
Hic igitur socios violentus in arma coëgit,
Ac cupidus pugnæ sæuos ascendit ad hostes,
Jamq́ꝫ siti moriens subitas trepidare per alueum
Vidit aquas, gelidis fossasq́ꝫ replerier vndis,

Absq́ꝫ

Absq; sono venti, pluuiarum motibus absq;,
Quando preces sapiens Elisæus fudit ab ore,
Militiæq; fauens animis spes addidit amplas.
Ergo Mesæ populus truculento sternitur ense,
Et captis resonans dominatur in vrbibus ignis:
Tecta fragore ruunt, plateasq; cadauera turpant:
Nec minus in campis vastatur fertilis arbor,
Obstruiturq; caput muscosis fontibus vdum,
Ac speciosus ager lapidoso spargitur imbre.
Milite postremo regis quoq; cingitur aula,
Quam cum non potuit tristis seruare tyrannus,
Filiolum in muris vultu mactauit atroci,
Et fera Dæmonibus tetris holocausta cremauit.
Hæc vbi conspexit Ioram tristissima sacra,
Noluit vlterius vires intendere belli.
Sed domito victor generosus ab hoste recessit. XVIII.
Iosaphat octauam sibi poscit in ordine sedem Iosaphat.
A decimo, præstans sanctæ pietatis amore,
Diuitijsq; potens, belli dignusq; triumphis.
Namq; dedit sancta populis in lege magistros,

Cultibus à vanis sobolem reuocare parentum
Ad proprios ritus, Solomonis & inclyta templa,
Viuentisq́; dei iussit præcepta docere,
Et sacra iustitiæ lætas celebrare per vrbes,
Iudicijq́; foro miseræ succurrere plebi.
Venerat interea fulgens exercitus armis
Ammonis populosa cohors, virtusq́; Moabi,
Miles & intonso properans de monte Seirus,
Iudaicas penitus gentes excindere ferro.
Rex igitur dominum supplex rogitare potentem,
Ac renouare suas ieiunia certa per ædes,
Cælitus vt tot opem fautor præberet in hostes,
Exiguum trepidi populi defenderet agmen,
Relliquiasq́; sui placidè seruaret ouilis.
Numine placato, magis audax exijt heros,
Hostibus & visis iterauit carmina dia,
Principis ætherei memorans benefacta priora,
Cuius in æternum durat miseratio dulcis.
Fautor adest precibus summo deus æthere pugnãs,
Hostilesq́; minas, hostilia castraq́; turbat,

Conficit & rabidis inimicum viribus agmen.
Nam socius gladio socium traiecit, & hasta,
Ac furijs agitata phalanx sua viscera fodit,
Dum putat Isacidum contra se stare iuuentam.
Tum pius ad prædam turmas, populumq́; vocauit,
Vixq́; tribus legit vestes, Gazamq́; diebus
Iosaphat, & spolijs onerando terga suorum,
Ingressus celebri Solymorum mœnia plausu,
Cum citharæ modulis, rauco sonituq́; tubarum,
Hostibus è domitis erexit festa trophæa,
Ac domino grates cecinit pro dote triumphi.
Quis vetet Amasiam victores inter habere XIX. Amasias.
Nomen, & ingentes titulos assumere laudum.
Nam vatis monitu, didicit nihil arma iuuare, „
Aut graue militiæ robur, cum bella geruntur: „
Sed superi regis tantum prodesse fauorem, „
Inq́; fugam hostiles rapidam conuertere turmas, „
Impia & horrendo prosternere castra fragore.
His ita præceptis imbutus, dicta prophetæ
Audijt, & domino fidens processit in hostes:

Atq; decem forti truncauit millia dextra:
Nec quicquam potuit contrà leuis haſta Seiri,
Sed miſerè perijt detruſus vertice montis,
Ac crepuit medius profuſo ſanguinis imbre.
XX Ezechias. *His libet Ezechiam poſtremò iungere regem*
(Quãuis longa cohors pugnantũ reſtet in armis)
Vincenteſq; duces placidis abſoluere dictis.
Namq; ego præcipuè natum demiror Achazi,
Aucto quem dominus cumulauit tempore vitæ,
Dum queritur lachrymans, citius ſua fata venire.
Hunc dederat pietas animum, præclaraq; facta.
Quippe deum iuſto reuerenter honore colebat,
Feruidus & paßim ſtatuas frangebat inanes,
Nec falſa populum ſub relligione ſinebat
Viuere, ſeu rigida ſerpentis imagine falli.
Talia curantem veniens hoſtilibus armis
Sennaherib ſtolidus blaſphemo terruit ore,
Dum ſibi non vllum potuiſſe reſiſtere numen
Iactat, & aſſyrias contra nihil eſſe phalanges.
Pertulit Ezechias tacito conuicia vultu,

Auxi-

Auxiliumq́; dei submissa voce poposcit,
Sicq́; sua est dictis populum solatus in vrbe :
Nemo minas timeat, timeat fera scōmata nemo. ”
Namq́; deus supera nos fautor ab arce iuuabit, ”
Carnea nec poterunt nos vincere brachia regis, ”
Dum pater è cœlis pro nobis pugnat in hostem. ”
Templa deum fregit, qui nullo robore præstant, ”
Et lapidum moles, lignorum & numina vana : ”
Sed cœli dominum nescit superare tyrannus. ”
Dixerat ista quidem princeps, & iunxerat istis
Verba precū, incendens domino pia thura potenti.
At deus exurgens percussit nocte tyranni
Assyrij turmas, castrisq́; cadauera sparsit
Densa, malumq́; ducem violento terruit arcu,
Quæreret vt patriam fugiens inglorius vrbem,
Et caderet gladijs natorum cæsus ad aram.
Sic bonus Ezechiam dominus seruauit ab hoste,
Victoremq́; domi residentem fecit in aula,
Vt populi scirent Solymorum mœnia curæ
Esse deo viuo, solus qui regnat vbiq́;.

Atq́;

Atq; truces valido prosternit Marte tyrannos.
His gaudete duces lauri sub fronde triumphis,
Heroes domini, domini sacra bella gerentes,
Æternumq́; simul placida in requiete valete.
At tibi, Cæsareus sanguis, ter Maxime CÆsar,
Quod sanctæ virides scripturæ ingressus in hortos,
Magnanimos placido spectaueris ore triumphos,
Heroum claris animos miratus in armis,
Qui domini populo scutum sub lege fuerunt
Ante dei aduentum, MAria qui virgine natus
Jam toto canitur moderator CHRIstus in orbe:
Paruus ego scriptor grates ago, lætus agamq́;
Aut memori saltem sub pectore semper habebo.
Quod si nostra placent tenui munuscula versu,
Forsitan vlterius Musas ducemus ad arma,
Victricesq́; ducum lauros à tempore Christi
Versibus in socio celebrabimus agmine vatum,
Magnorumq́; simul renouabimus acta virorum:
Quos inter, domitis hilares aget vsq; triumphos
Hostibus, & summo stirpis fulgebit honore

Austriæ

AVSTRiacæ virtus, ac te duce surget in altum,
Rex pie, Cæsareæ fulgens splendore coronæ.
Tum quis erit plausus, vel erunt præconia quãta?
Cum te pugnaci dominum GERmania vultu
Auspicijs pacata tuis sectabitur vltro,
Ac succensa sacræ iusto pietatis amore
Proruet haud timidi splẽdẽtia Martis ad arma,
Ac iam freta deo, melioribus vsq; fatis,
Hostes Christicolum toto superabit in orbe,
Expandentq; suas aquilæ super omnia pennas,
Solis ab occasu volitantes solis ad ortum,
Ut sibi subijciant terrarum debita regna.
Hæc ego dũ cupidus Musarũ templa frequento,
Turrigeræ cultæ studiosus in vrbe Viennæ
Squamigerum cecini vates operosus ad Istrum.

DEO OPT: MAX: SOLI GLORIA.